



Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis in Hungaria: 4 coronae. Prostat Parisiis in aedibus Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858.


## Ioannes Pierpont Morgan

homo orbis terrarum ditissimus annum agens septuagesimum sextum Romae, ubi oblectationis causā morabatur, supremum diem obiit. Vir ille singularis non est in numero eorum Americanorum habendus, qui humillimo loco nati temporibus<sup>1</sup> recte perpensis,<sup>1</sup> labore indefesso, omnium virium summā contentione opibus cumulandis<sup>2</sup> operam dant. Morgan filius argentarii<sup>3</sup> modice locupletis, adulescensculus in universitate litteris se dedit, a quibus patre mortuo recedere<sup>4</sup> coactus genitoris operam suscepit, eamque tantā fortunā, tam acri ingenio, tantā sapientā, ut incredibilē pecuniarum vim coacervat.<sup>2</sup> Cuius dominatu tenebantur omnes fere quotquot aedicabantur viae ferratae in America,

quotquot navigia marium undas secabant,<sup>5</sup> quotquot metallorum venae<sup>6</sup> in fodinis<sup>7</sup> Americae Septentrionalis reperiebantur.

Sed male iudices de tanto viro, si eum pecuniae — ut ita dicam — cultorem nimium putes, quippe qui opes quaereret, quibus innumerabiles hominum cohortes aleret.

Mirum<sup>8</sup> quantum<sup>8</sup> contulit inopibus sublevandis, magis etiam artis operibus coēmendis, quia maximi aestimabat ea, quae vitam exornant. Epistolam illam clarissimam, quam Lutherus quondam ad Carolum V. imperatorem miserat, centum viginti milibus coronarum emptam Guilelmo II. Germaniae imperatori dono dedit. Iniri<sup>9</sup> non potest numerus,<sup>9</sup> quantum pecuniae



<sup>1</sup> a körülményeket mérlegeli <sup>2</sup> felhalmoz <sup>3</sup> bankár <sup>4</sup> eláll <sup>5</sup> szel <sup>6</sup> az ér <sup>7</sup> bánya <sup>8</sup> rengeteg sokat <sup>9</sup> megszámlál


Per.  
Lat  
020



in artis opera comparanda erogaverit,<sup>10</sup>  
quibus et musea plurima ornavit et domum suam, quam in pictura videmus.

Filius Ioannes, qui patri successit, Novo Eboraco navi extraordinaria<sup>11</sup> Romam profectus est, ut ossa et reliquias eius domum veheret.

<sup>10</sup> elköt <sup>11</sup> külön.



Alexander Emerico fratri suo salutem.

Dum tu, frater carissime, cum matre nostra amoenissimā in luce<sup>1</sup> orae maritimae versaris,<sup>2</sup> et valetudinem infirmam<sup>3</sup> curare cupis, ego ruri cum patre habito,<sup>4</sup> et particeps<sup>5</sup> sum laborum ad agrum colendum necessariorum.<sup>6</sup>

Ver enim etiam in regionem<sup>7</sup> nostram advenit, flant<sup>8</sup> venti tepidi<sup>9</sup> et redeunt gramina<sup>10</sup> campis, densaeque<sup>11</sup> frondes<sup>12</sup> arboribus.

Itaque promunt<sup>13</sup> aratrum cum vomere<sup>14</sup> agricolae, sub iugo<sup>15</sup> gemunt<sup>16</sup> boves, dum aratra humum<sup>17</sup> camporum convertunt.<sup>18</sup>



Discipulis quibusdam, qui iuxta urbem ambulabant, obvius venit rusticus<sup>1</sup> asinum prae se agens. Cum animal vehementer rudere<sup>2</sup> incepisset, o te hominem inscitum — inquit unus discipulorum — qui asinum tam intempestive<sup>3</sup> rudere sinas!

Cui rusticus respondit: Hoc commune<sup>4</sup> habet bestia mea cum ceteris, quod pro anni tempore cantat. Tamen cum turbam cognato-

Postea semina<sup>19</sup> serunt<sup>20</sup> et occant<sup>21</sup> agricultores sperantes laetas a diis segetes.<sup>22</sup>

Aves migrantes<sup>23</sup> iam revertuntur<sup>24</sup> e regionalibus meridionalibus<sup>25</sup> et partim priscos<sup>26</sup> occupant nidos,<sup>27</sup> partim novos sibi aedificant. In pratis iam carpunt<sup>28</sup> herbas<sup>29</sup> virides boum et ovium greges, pastoresque canunt.<sup>30</sup>

In hortis arbores seruntur et amputantur<sup>31</sup> rami<sup>32</sup> inutiles, in vinea<sup>33</sup> vites<sup>34</sup> palis<sup>35</sup> alligantur.<sup>36</sup>

Sorori nostrae cordi est,<sup>37</sup> ut in horto olitorio<sup>38</sup> mature serantur<sup>20</sup> olera,<sup>39</sup> semina quoque florum variorum<sup>40</sup> nunc seruntur...

Vix haec scripseram, cum subito ventus vehementissimus ortus est. Spes veris irritae<sup>41</sup> cadebant.<sup>41</sup> Flores arborum nivibus et frigoribus confecti sunt. Nos omnes maximā tristitiā perambulamus hortum, ubi omnia mortua esse videntur. Nulli fructus sperari possunt. Etiam multitudo ramorum<sup>32</sup> de arboribus fracti iacent. Utinam Deus clementius<sup>42</sup> nobiscum agat!

Frater carissime, cura, ut valeas; et matrem dilectissimam valere iubeo. M. F.

<sup>1</sup> verőfényes táj <sup>2</sup> tartózkodik <sup>3</sup> gyöngé <sup>4</sup> lakik  
5 részes <sup>6</sup> szükséges <sup>7</sup> vidék <sup>8</sup> fű <sup>9</sup> langyos <sup>10</sup> gyepek  
11 sűrű <sup>12</sup> lomb <sup>13</sup> elővesz <sup>14</sup> ekevassal <sup>15</sup> iga  
16 nyög <sup>17</sup> talaj <sup>18</sup> forgat <sup>19</sup> mag <sup>20</sup> vet <sup>21</sup> boronál  
22 vetés <sup>23</sup> költözö <sup>24</sup> visszatér <sup>25</sup> déli <sup>26</sup> régi  
27 fészek <sup>28</sup> lelegel <sup>29</sup> fű <sup>30</sup> furulyázik <sup>31</sup> lenyeseget  
32 ág <sup>33</sup> szőlőskert <sup>34</sup> szőlőtő <sup>35</sup> karó <sup>36</sup> kőt <sup>37</sup> szívén  
fekszik <sup>38</sup> veteményes kert <sup>39</sup> zöldség <sup>40</sup> különféle  
<sup>41</sup> megsemmisül <sup>42</sup> kegyes.

rum convenit, sibi<sup>5</sup> temperare<sup>5</sup> nequit, quo minus eos laeto clamore salutet. G. a Beöthy.

**Aesopus**, fabularum scriptor clarissimus, corpore deformi<sup>6</sup> inter duos servos robustos et pulchros in mancipiorum<sup>7</sup> mercatu<sup>7</sup> venalis<sup>8</sup> perductus<sup>8</sup> est, ut contubernialum<sup>9</sup> robur pulchritudoque eo magis conspicua<sup>10</sup> forent.

Emptor quidam alterum servum adiens interrogavit, quid sciret.

— Omnia, respondit ille. Quibus auditis poëta risit.

<sup>1</sup> paraszt <sup>2</sup> bőg <sup>3</sup> rosszkor <sup>4</sup> közös (vonás) <sup>5</sup> vissza-tartja magát <sup>6</sup> csunya <sup>7</sup> rabszolgavásár <sup>8</sup> áruba bocsát <sup>9</sup> társ <sup>10</sup> feltüntő

## Sententiae Sinenses.

Facilius flumen retro<sup>1</sup> vertere,<sup>1</sup> quam reconciliare<sup>2</sup> invidum. — Qui mortem timet, non meret vitam. — Homo mendax<sup>3</sup> omnia facillime credit. — Nobilis urbem accendere potest, pauper ne lampadem quidem. — Omnes decem digiti<sup>4</sup> nunquam sunt aequales. — Homo mille consilia habet, Deus unum observat. — Fieri potest, ut per errorem in carcerem<sup>5</sup> coniicari, sed ut per errorem libertatem recipias, ne exspecta. — Nunquam Deus ambibus manibus punit. — Si ex uno solo dente laboras,<sup>6</sup> os non habet quietem. — Fungo<sup>7</sup> dulci et homini blando<sup>8</sup> ne fide. *G. Totis.*

<sup>1</sup> visszafordít <sup>2</sup> megbékít <sup>3</sup> hazug <sup>4</sup> ujj <sup>5</sup> börtön  
<sup>6</sup> szenvéd <sup>7</sup> gomba <sup>8</sup> hizelgő.



In urbe<sup>1</sup> Sancti<sup>1</sup> Claudi, in Gallia aëroscopicum militare cum quinque praefectis militum horā secundā post meridiem in pluvia effusa<sup>2</sup> super Parisios volabat. Dimidīā horā post incolae oppidi Fontenay-Bois navigium ad fumarium<sup>3</sup> officinae<sup>3</sup> allidi<sup>4</sup> videbant; deinde vento vehementissimo propulsum iuxta Villiers-sur-Marne

Alter interrogatus idem respondit. Et poëta iterum risit.

Denique ipse interrogatus, quid didicisset, se nihil scire respondit.

— Quid ais?

— Evidem nihil scio, contubernales enim mei se omnia scire dixerunt. Itaque nihil mihi relictum est. *C. Poscheno.*

**Merula**<sup>11</sup> ante fenestram in caveā<sup>12</sup> angustā suspensa cantabat tristis. Advolat vesperilio,<sup>13</sup> cui mirum videbatur noctu merulam canentem audire et interrogat:

— Cur non potius interdiu cantas et noctu acquiescis?

displosum<sup>5</sup> delapsum est. Homines undique concurrebant, qui praefectos militum cum sanguine animam profundentes invenerunt.

**Aërobaticum** Zeppelinianum V. Cal. Apr. sesquihorā<sup>6</sup> post meridiem in campum Lunévilleanum descendit, ubi tunc ipsum



milites Gallici exercebantur. Quemadmodum obstupfacti sint milites et togati<sup>7</sup> qui aderant aërobatico Germanico conspecto, mente cogitari potest.

Navigium aërium viginti tres horas in campo morabatur, unde in Germaniam revehebatur.

Germani milites, qui in Zeppeliniano inerant, non speculandi<sup>8</sup> causā venerunt in Galliam, sed vento adverso et caelo nebuloso<sup>9</sup> viā<sup>10</sup> decepti<sup>10</sup> se iuxta urbem Gallicam demiserunt. Galli aërobaticum accuratissime perscrutabantur,<sup>11</sup> priusquam Ger-

<sup>1</sup> Saint-Cloud <sup>2</sup> sürü <sup>3</sup> gyárkémény <sup>4</sup> ütközik  
<sup>5</sup> felrobban <sup>6</sup> 1 1/2 órakor <sup>7</sup> polgár <sup>8</sup> kémkedik  
<sup>9</sup> ködös <sup>10</sup> eltéved <sup>11</sup> kikutat

Tum illa maesta :

— Ego — inquit — interdiu homines cantu meo delectans capta sum; itaque malo prudentior facta sum: noctu canto et interdiu quiesco.

Vespertilio autem admirans simplicem merulæ loquendi rationem et detestans<sup>14</sup> hominum animos ingratos ait:

— At tu sero caves; tacere debuisti, priusquam capereris!

Multi homines adepto damno claudunt ostium.

*Nicolaus Szarvas, S. J.*

<sup>11</sup> rigó <sup>12</sup> kalitka <sup>13</sup> denevér <sup>14</sup> elátkoz.

manis copia revertendi data est. Hoc modo Gallis occasio aërobatici Zeppeliniani cognoscendi sponte oblata est. Quod autem unum omnium maximum est, longitudine 148, dimetienti<sup>12</sup> 14 metrorum; propellitur motoribus tribus, qui equorum centenorum octogenorum vires aequant.

**Hamel** aéronauta Britannus cum altero vectore post meridiem horā dimidiā Dubri<sup>13</sup> subvolans per Mare<sup>14</sup> Britannicum<sup>14</sup> Bataviā,<sup>15</sup> Belgicā, Galliā tactā horā sextā in Germaniae urbem Coloniam<sup>16</sup> Agrippinam<sup>16</sup> pervenit. Hamel aperte dixit militum Germanorum praefectis se civibus suis demonstrare voluisse non esse commenta<sup>17</sup> inania<sup>17</sup> aéronautarum, qui Britanniam instructā classe aériā opprimi posse dicerent. Quo itinere aërio manifeste demonstrabatur eam civitatem victricem fore, cuius navigia aëria meliora futura essent.


<sup>12</sup> átmérő <sup>13</sup> Dover <sup>14</sup> la Manche <sup>15</sup> Hollandia  
<sup>16</sup> Köln <sup>17</sup> agyrém.

### Cochlea<sup>1</sup> festinans.

Scripsit Iosephus Irsik.

Castelli in horto pulchro vel cultissimo  
Canebat laeta suaviter luscinia.<sup>2</sup>  
In fossa, extrinsecus, sub horti moenibus  
Audit morosa cantum dulcem cochlea.  
«Diutius hic lappas<sup>3</sup> inter foetidas  
Hanc — inquit — tristem vitam nequagam<sup>4</sup> feram.  
Visam, quae tantae sint intus deliciae,  
Quis<sup>5</sup> illa laeta non interdiu modo,  
Sed etiam noctu tam suaviter canat.»  
Captoque verbis his secum consilio  
Init murum per arduum viam die  
Sancti Georgi destinata<sup>6</sup> cochlea.  
Repens deinde lento more proprio  
Post quintum mensem pervenit Sancti die  
Michaēlis sub muri summum marginem.<sup>7</sup>  
Sed hunc superare dum studet, miserrima  
Obdormit atque in fossam prona decidit,  
Ubi se hisce consolatur vocibus:  
«Praesagiebam<sup>8</sup> certe istum casum malum.  
Ardore cordis rapta enim non potui  
Ad festinandum lente me compescere.  
Citatum<sup>9</sup> vero nunquam opus fuit bonum».»  
In vos, inertes,<sup>10</sup> haec narratur fabula,  
Qui pigri tardo gressu dum proceditis,  
Risum movetis vosmet impigerrimos  
Pronunciantes atque sedulissimos.

<sup>1</sup> esiga <sup>2</sup> fülemüle <sup>3</sup> keserű lapu <sup>4</sup> semmiképen  
sem <sup>5</sup> quis=quibus <sup>6</sup> elszánt <sup>7</sup> párkány <sup>8</sup> bőlcsem  
előre sejt <sup>9</sup> súrgégett, «hamar munka soh'sem volt  
jó» <sup>10</sup> tunya, renyhe.



His temporibus discipuli in scholis non solum litteras docentur, sed etiam artes, quae ad vitae usum requiruntur. In Hungariae scholis adulescentes et docentur et erudiuntur, quamquam minima pars scholarum iis victum quoque praebet. Parentes obliviousidentur discipulos ne quartam quidem partem viginti quattuor horarum in schola transigere, tamen a schola omnia



postulare posse arbitrantur, quae parentum officia esse negari nequeunt.

Si pauper es et bene discis, doctrinae<sup>1</sup> premium<sup>1</sup> tibi condonatur,<sup>2</sup> immo etiam libris aliisque discendi instrumentis afficeris. Nescis lepide<sup>3</sup> saltare, amas hieme soleis<sup>4</sup> ferratis<sup>4</sup> currere, aestate natare, medico tibi opus est, cantum doceri cupis vel verba<sup>5</sup> notis<sup>5</sup> excipere,<sup>5</sup> omnia tibi schola suppeditat.

Novissime discipuli scholarum nostrarum excursiones factitant ducibus magistris, immo etiam itinera in terras extereras, ut ea, quae in scholis discunt, penitus cognoscere et oculis cernere possint.

Nonnullis annis ante discipuli in scholis tantum litterarum studia exercebant, cetera parentibus relinquebantur.

Beati iuvenes, qui a magistris amantibus non solum docentur, sed etiam sub tutela<sup>6</sup> eorum erudiuntur. Cum animis etiam corporum vires exercentur, ut aliquando viri

<sup>1</sup> tandíj <sup>2</sup> elenged <sup>3</sup> kecsesen <sup>4</sup> korcsolya <sup>5</sup> gyorsír  
<sup>6</sup> felügyelet

docti et sani, patriae boni cives, Dei cultores pii evadant.

In pictura videmus discipulos Colocenses, qui magistris custodibus conos<sup>7</sup> ligneos pro hostibus collocatos globis petunt. Lusus mehercle iucundissimus. Et oculorum acies et brachiorum vires corroborantur! Alteram iam picturam (Ann. III. num. 14.) vidistis, in qua discipuli huius scholae clarissimae vigiles<sup>8</sup> incendiis<sup>8</sup> arcendis<sup>8</sup> demonstrantur.

<sup>7</sup> kúp <sup>8</sup> tűzoltó.

## Gallus. X.


Scripsit G. A. Becker, in Latinum convertit –il.

Lata gestatio<sup>1</sup> platanorum leniter et sensim, clivo<sup>2</sup> fallente,<sup>3</sup> consurgit ad praetorium non tam sumptuose quam eleganter atque utiliter exstructum. Cuius a fronte inter ortum solis et meridiem spectanti excurrit porticus haud modica, columnis Corinthiis suffulta.<sup>3</sup> Ante porticum extenditur xystus,<sup>4</sup> concisus<sup>5</sup> in plurimas species variis floribus odoratis consitas buxoque distinctas; inde in planum,<sup>6</sup> acantho laeto vestitum, pronus descendit pulvinus,<sup>7</sup> quem buxus multi-formis et in varias bestiarum effigies artificiose tonsa<sup>8</sup> ornat.

Porticui adiacet atrium politissimum, cuius pavimentum<sup>9</sup> e quadratis lapillis colore candido et nigro viridique compositum et tesseras<sup>10</sup> oblique<sup>10</sup> positas<sup>10</sup> imitatum suaviter variant parietes marmore exculti. Atrio adhaeret peristylum in O<sup>11</sup> litterae<sup>11</sup> similitudinem<sup>11</sup> circumactum,<sup>11</sup> quod egregium est adversus tempestates receptaculum:<sup>12</sup> nam intercolumnia<sup>13</sup> specularibus<sup>14</sup> sunt opera, per quae iucundissimus patet prospectus ad pratulum muscumque<sup>15</sup> mollem in cavaedio<sup>16</sup> virentem, quem aqua in altum expulsa recidendo leni aspergine<sup>17</sup> fovet. Proxime subest areola<sup>18</sup> hilaris, cuius in medio spatio circa labrum<sup>19</sup> marmoreum diversae arbusculae virent. Ubi desinit areola, incipit amplissimum triclinium ultra parietem aedium porrectum, quod undique valvas<sup>20</sup> aut fenestras habet, itaque tripartito<sup>21</sup> prospicit viridia: a fronte montes Aurunci, a lateribus hortuli visu iucundissimi cernuntur, a tergo autem aditus patentes per peri-

stylum, atrium et porticum in<sup>22</sup> aperta<sup>22</sup> praebent prospectum.

Cui conclavi Cyziceno dextrā cohaerent diversae cellae, quae, quod sole carent, amoenissima sunt fervida aestate receptacula;<sup>12</sup> paullo remotius ad orientem spectant diaeta<sup>23</sup> et dormitorium.<sup>24</sup> Diaeta hilaris in<sup>25</sup> apsidem<sup>25</sup> curvata<sup>25</sup> solem orientem statim ex-



ceptum ultra meridiem servat. In quo conclavi pictura parietis candido marmore summā arte imitatur ramos proximae platani prominentes<sup>26</sup> atque aves ramis insidentes. Una parte parieti in speciem bibliothecae armarium<sup>27</sup> est insertum, quod libros non semel legendos, sed lectitandos<sup>28</sup> capit.

Diaetae adhaeret dormitorium, transitu interiacente, qui tempore hiemis calefieri<sup>29</sup> potest, unde aēr calidus per tubos<sup>30</sup> circumfunditur, ut ima et summa aequaliter foveantur. Reliqua pars huius lateris servorum libertorumque usibus detinetur,<sup>31</sup> plerisque tam mundis, ut accipere hospites possint.

Ex adverso latere est balneum,<sup>32</sup> quod a meridie usque ad occasum plenissimo sole perfunditur. Balnei plures sunt cellae: frigidaria,<sup>33</sup> tepidaria<sup>33</sup> et caldaria<sup>33</sup> ad lavandum, in quibus aqua ita est disposita, ut ex frigidario in tepidarium influeret, ubi

<sup>1</sup> fasor <sup>2</sup> lassú emelkedéssel <sup>3</sup> támaszt <sup>4</sup> fedett sétaút <sup>5</sup> felosztva <sup>6</sup> sikság <sup>7</sup> emelkedés <sup>8</sup> nyir <sup>9</sup> padló <sup>10</sup> ferdén fekvő kocka <sup>11</sup> tojásdad alakú <sup>12</sup> menedékhely <sup>13</sup> oszlopköz <sup>14</sup> ablak <sup>15</sup> moha <sup>16</sup> udvar <sup>17</sup> permetezés <sup>18</sup> kis udvar <sup>19</sup> medence <sup>20</sup> ajtó <sup>21</sup> háromfelé <sup>22</sup> szabadba <sup>23</sup> nappali <sup>24</sup> hálószoba <sup>25</sup> félkőralakú <sup>26</sup> kiálló <sup>27</sup> szekrény <sup>28</sup> gyakran olvas <sup>29</sup> fűt <sup>30</sup> cső <sup>31</sup> fenntart <sup>32</sup> fürdő <sup>33</sup> hideg, langyos, meleg kád


modico igni calefit, inde maiore addito calore in caldarium. In cella frigidaria praeterea duo sunt baptisteria,<sup>19</sup> alterum modicum ad lavandum, alterum amplum ad natandum. Quibus cellis cohaerent apodyterium ad vestes deponendas et unctorium ad corpus unguendum<sup>34</sup> et hypocauustum ad calorem et vaporem ministrandum.<sup>35</sup> Apodyterio adiacet sphaeristerium,<sup>36</sup> ubi Gallus pilis ludendo aut aliis exercitationibus corpus ad lavandum praeparat.

<sup>34</sup> ken <sup>35</sup> szolgáltat <sup>36</sup> labdázó.

tae<sup>5</sup> plaustris fractis, quae ut cadavera projecta iacebant, purgaretur et lamina<sup>6</sup> ferrea<sup>6</sup> depravata<sup>7</sup> reficerentur. Quomodo calamitas facta sit, nondum appetit. Custos stationis Touniensis accusatur, quod vectoram citatiorem<sup>8</sup> iter continuare passus sit, quamquam vectura oneraria advehi nuntiaretur.

**Carolus Hagenbeck**, Germanus bestiarum<sup>9</sup> negotiator,<sup>9</sup> ictu<sup>10</sup> serpentis,<sup>10</sup> quo ante aliquot annos affectus erat, mortuus est. Vir ille insignis rationem vivariorum<sup>11</sup> instituendorum planissime immutavit.<sup>12</sup> Ante cuius aetatem capsis<sup>13</sup> densissime clathratis<sup>14</sup> continebantur bestiae, quae sic in artum<sup>15</sup> compulsi irritati vel vitae sensu quasi amisso languebant;<sup>16</sup> spectatores autem nequibant deicere taedium, quo eos vexatio animalium affecit. Hagenbeck primus erat, qui in urbe Stellingen, prope Hamburgum animalia eadem ferme ratione habebat, quā domi, in silvis, in cavis<sup>17</sup> vel desertis<sup>18</sup> suis vivere consuerunt. Clatha aliaqua servitutis instrumenta abiecta sunt. Animalia servitutem vix sentire videntur, adeo libertatis imitatio eis praebetur! Hanc rationem vivariorum instituendorum imitantur urbes omnes, ubi vivaria recentiora instituuntur. Etiam nostrum Budapestinense hanc rationem sequitur.

**Scodra**<sup>19</sup> occidit. Sub monte Tarabo tormenta<sup>20</sup> bellica<sup>20</sup> conticuerunt et rex Nichita cum copiis Montenigrinis auxiliaribusque Servianis urbem intravit, quae theatrum caedium omniumque belli horrorum facta est. Furor hostium sanguinis avidorum erupit. Consummatum est... Luna Turcica decrescens corruit, tantum angustus limes<sup>21</sup> est iuxta Cornu Aureum, quem luce maligna collustrat. Concussi<sup>22</sup> orbis motus ultimus est, ingentis gloriae radii ultimi exiles.<sup>23</sup> Tempus edax rerum uno atque eodem modo porro volvitur. Charta Europae geographica immutabatur, historia autem rerum gestarum aliquot milibus mortuorum divitior



**Iosephus Hampel** antiquitatis<sup>1</sup> investigator<sup>1</sup> eruditissimus, magister in universitate litterarum Budapestinensi annum agens sexagesimum quartum mortuus est. Multa itinera cognoscendae antiquitati fecit, plura etiam de his rebus lingua nostrā, Gallicā et Germanicā scripsit.

Calamitatis maxima, qua sex hominum



vitae absumberbantur, nuntius nobis allatus est. Duae enim vectrae<sup>2</sup> viae ferratae Hungaricae in Croatia inter se collidebantur. Plaustrorum<sup>3</sup> fractorum mole vis conflictionis<sup>4</sup> demonstratur. Labore triginta sex horarum indefesso opus erat, ut agger<sup>5</sup> viae<sup>5</sup> ferra-

<sup>1</sup> régiségstudós    <sup>2</sup> vonat    <sup>3</sup> kocsi    <sup>4</sup> összecsapás  
<sup>5</sup> pályatest    <sup>6</sup> sín    <sup>7</sup> elront    <sup>8</sup> gyors-    <sup>9</sup> állatkereskedő  
<sup>10</sup> kígyómarás    <sup>11</sup> állatkert    <sup>12</sup> megváltoztat    <sup>13</sup> ketrec  
<sup>14</sup> rácsos    <sup>15</sup> szük    <sup>16</sup> senyved    <sup>17</sup> gödör    <sup>18</sup> pusztá  
<sup>19</sup> Skutari    <sup>20</sup> ágyú    <sup>21</sup> sáv    <sup>22</sup> megráz    <sup>23</sup> nyomorúságos.

facta est. Vis Turcorum, quibus saeculo XV. Europa complebatur, ad fontes Asiae repellitur.



**Magister:** Tu Paule, Franciscum mendacem esse dixisti? Et hoc te litterarum<sup>1</sup> fide<sup>1</sup> confirmaturum pollicitus es?

— Ita est, ut dicis, magister.

— Monstra litteras!

— Non confirmavi litterarum fide, quia omnes discipuli etiam sine litterarum fide rem crediderunt. *I. Tóth (Keszthely).*

**Scisne,** mi fili, quid intersit<sup>2</sup> inter fulgur et lucem electricam?

— Scio: pro fulgere quidquam solvere nobis non est necesse. *Guil. Lhm. (Vrtsl.)*

**Homo quidam elegantior deversorium<sup>3</sup> intrans ad ministrum: Numnam fieri potest, ut hic cenen vir honestus?**

— Sane hercle; adduc eum.

*Guil. Lhm. (Vrtsl.)*

**Miles:** Mea soror in<sup>4</sup> eo<sup>4</sup> est,<sup>4</sup> ut matrimonio iungatur. Da mihi, sodes, commeatum.<sup>5</sup>

**Praefectus:** Habes igitur sororem?

**Miles:** Habeo. Parentes mei duas proles habent: filium et filiam. Ego sum filius. *G. Muffang (Andecavi).*

**Aristippus philosophus a Dionysio tyranno in ultimo loco positus**

— Laudo te — inquit — quod hunc locum per me ampliorem fecisti. *Z. Hallay.*

— Loqueris latine?

— Loquor.

— Da<sup>6</sup> mihi decem coronas mutuas.<sup>6</sup>

— Nunc venit mihi in mentem me non loqui latine. Frater meus loquitur, sed non habet pecuniam. *F. Sziklai (Budapest, III.).*

**Photographus:** Omnia parata sunt; attende, domine, manum autem de naso demitte!<sup>7</sup>

— Quid<sup>8</sup> hoc<sup>8</sup> ad<sup>8</sup> te?<sup>8</sup>

*S. Szilvássy (Budapest).*

— Quotus es in classe?

— Quadragesimus tertius.

— Quot estis discipuli?

— Quadraginta tres.

*/Duobus mensibus post./*

— Quotus nunc es?


— Quadragesimus quartus.

— Quid<sup>9</sup> ita?<sup>9</sup>

Novus discipulus nuper ascriptus est.

*G. a Beöthy.*

**Videtis in pictura rusticum, qui furca<sup>10</sup> humero imposita incedit;<sup>11</sup> in bubili<sup>12</sup> est vacca; duo pueri male<sup>13</sup> salsi<sup>13</sup> ad bubble properant. Alter hamum<sup>14</sup> tenet viduum, alter vas colore nigro plenum.**



Vix abiit rusticus, cum duo pueri petulan-tes<sup>15</sup> caudam vaccae in hamo posuerunt et iuxta caudam dexterā et sinistrā duos oculos pinixerunt. Quod quomodo rustici animum affecerit, pictura demonstrat.

1 írásban    2 különbség van    3 vendégfogadó  
4 azon van    5 szabadság    6 kölcsönöz    7 letesz  
8 mi közöd hozzá?    9 hogyan?    10 villa    11 meggy  
12 ól    13 pajkos    14 veder.



## I.

**Bestia** sum reptans,<sup>1</sup> morbus quoque dirus; et inter sidera me reperis.

*G. Lhm. (Vrtsl.)*

## II.

1 2 3 4 5 6 7 8 a nobis omnibus amatetur  
3 4 5 6 7 8 multis molestus est  
6 7 8 diis gratum esse creditur

*G. Lhm. (Vrtsl.)*

1 mászik

## III.

Seu mea membra<sup>2</sup> leges dextrorum, callide  
lector,

Sive sinistrorum: semper habebis idem.  
Maxima sum gnavi<sup>3</sup> spes et fortuna coloni;  
Ut bene proveniam, supplicat ille deo.

G. Lhm. (Vrsl.).

## IV.

A	A	A	C	C	C	D	E	E
G		I		I		I		L
M		N		O		R		R
S		S		S		S		T
U		U		U		U		U

Hae litterae ita ordinentur, ut series supera  
nomen poetae clarissimi Romanorum det.  
Reliquae quinque deorsum lectae: 1. animal domesticum, 2. parem arboris, 3. prae-  
positionem, 4. etiam in Iuventute legitur,  
5. supra capitibus nostris appetet.

Z. Grósz (Budapest).

## V.

N. Szabó.



<sup>2</sup> tag, «betű» <sup>3</sup> serény.


## Solutiones aenigmatum num. 14–15.

I. Qui alteri exitium parat, eum scire  
oportet sibi paratam pestem. — II. Roma,  
olim, mica, anas. — III. Calceus. — IV.  
Puer, uva, ea, r. — V. Res, ora, mus, uva,  
lux, ubi, sol. — VI. Ter, Icarus, tergum,  
Urania, Salamis. — VII. Mater, filia, avia. —  
VIII. Anulus. — IX. Sibi parem. — X. Remex  
et linter. — XI. Scrobes. — XII. Ius, uter,  
vox, edit, nux, tot, unus, situs. — XIII.  
Nux. — XIV. 30+15. — XV. Novem, decem,  
undeviginti. — XVI. Sinus, asinus. — XVII.  
Quid rigat pratum virens?

**Aenigmata recte dissolverunt:** L. Al-  
laire (Angers, Gallia), L. Antalóczy (Gyula-

fehervár), D. Borel (Paris), A. Cseh (Gyula-  
fehervár), B. Dallegrí (Napoli), F. Eile  
(Lwów), T. Erdey (Budapest), C. Fántáná  
(Nagyszében), St. Fehér (Temesvár), I. Glück  
(Lwów), A. Herman (Lwów), G. Horay  
(Temesvár), S. Horváth O. Cist. (Eger),  
S. Jakubowszki (Lwów), S. Kalpa (Helsinki,  
Finnia), T. Kindler (Lwów), J. Kiss (Szat-  
már), R. Klein (Ujvidék), F. Kollegger (Leoben,  
Stiria), A. Korchmáros (Budapest), I.  
O'Cormick (Edinburgh), M. Kordzik (Lwów),  
D. Kovács (Nyiregyháza), B. László (Losonc),  
C. Lewicki (Lwów), N. Lovassy (Budapest),  
A. Marszatkowicz (Lwów), Naszdiensis gym-  
nasii classis V., P. Poirier (Angers, Gallia),  
A. Schwimmer (Temesvár), I. Wildt (Déva),  
O. Witold (Lwów), S. Zawadowski (Lwów).

Praemium Dionysio Borel adiudicatum est.



*Omnibus sociis.* Qui solutionem cum novis aenigma-  
tibus mittit, utrumque in chartis separatis scribat,  
ne alterutrum praetereatur. — Lhm. Quae de carmine  
Aranyii nostri censes, sine ulla dubitatione confirmare  
possum. Pro ceteris donis tuis gratias. — Eporedia.  
Tuum quoque in lucem prodibit. — De vita vivarii.  
Cum Hungaricis verbis prius comparandum mihi vi-  
detur. Et exemplar Hungaricum mittere debuisti. —  
Korczmáros. Alterum aenigma nimium numerorum  
continet, alterum fortasse aptum erit, quod cum lec-  
toribus communicetur. — Facinus Caroli XII. Nunc  
opusculis longioribus non careo. Ad tempus seponere  
cogor. Patientiam! — Monedula et apes. Pulchrum  
esse videtur, sed non satis liquet. — Cominius. Quid  
hoc nomen sibi vult? — Augustinus P. Unum for-  
tasse vulgarabitur. — Sodalis. Cum te ordo vocabit,  
parte tuorum me usurpno spero. — Latrones. Tuum  
diligenter perlegam, tum te de eventu certiore faci-  
endum curabo. — Custos Lombardus. Idem exspecta  
et tu. — Tiberius V. E tribus tuis unum iam prodiit,  
in reliquis duobus nimium litterarum descripsisti. —  
L. Horváth. Tuorum proxime delectum habebo. — C.  
Lesmann. Nomina Latina ponere debuisti pro Hungaricis. Cur te non ociosus moves in solutionibus mitten-  
dis? Alter quoque Cibiniensis A. Weisz? — Edu-  
ardus B. Hungarice melius sonat illud Salse Dictum  
a Ladislae Biró conscriptum. — Carolus L. Non sunt  
nomina Latina eorumque litterae sine ullo ordine  
dispositae. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis STEPHANUS SZÉKELY DR.  
Budapestini, Üllői-út 71., ad quem litterae quae-  
cumque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar  
Középiskola.